

sanda. Item pro primo cum secundo. Item pro secundo, vel etiam pro secundo cum tertio. Item quoties adsit copula publica, vel scandalum, aut infamia: in casu autem copulæ publicæ, scandali, vel infamie imponitur etiam poenitentia publica: non in casu copulæ occultæ. Dixi supra, & iterum dico, nequis in hac materia fidat Theologis; addo autem, quod nec Juristis fideandum est, ne accidat, quod nuper contigit; quidam enim Advocatus ultramontanus a me petebat dispensationem sibi obtinere pro ducenda cognata, exponendo fusissime pro causa summam pauperiem, ætatemque satis provecam duarum sororum sponsæ, quæ 24. annos non attingebat. Non autem esse ad rem ætatem, & paupertatem sororum sponsæ, pro quibus etiam textus civiles extra chorum allegabat, compertum est. Unde cum aliam causam non exhiberet, omisa fuit dispensationis sollicitudo.

310. Inq. 5. An, si matrimonio inito, vel renovato virtute facultatis sacræ Poenitentiarie, impedimentum prius occultum fiat publicum, possit Ordinarius conjuges separare, donec a Dataria dispensationem obtineant? R. sub distinctione: vel enim impedimentum proveniebat ex copula illicita, vel aliunde. Si primum, Confessario monente secreto Ordinarium,

se in illo facultate sacræ Poenitentiarie legitime dispensasse, nequit conjuges separare, sed acquiescere debet juxta Lambertinum *Inst. 87. n. 51.* Si secundum, potest eos separare; imo debet propter scandalum; quia dispensatio fuit solum pro foro interno. Si autem conjuges in hoc casu occulte, & sine scandalo sibi debitum reddant, non peccant, quia pro foro interno ablatum est legitimum impedimentum.

311. Nota, quod licet ætas sororum sponsæ non sit ad rem pro obtinenda dispensatione; ætas vero ipsius sponsæ, si vidua non sit, ex stilo curiæ est aptior causa dispensandi, si 24. annos saltem per unum diem excedat. Nota etiam quod P. Cuniliati præscribens impedimenta, quæ exponi debent, ne dispensatio nulla evadat, ait inter alia exprimenda: *Præterea, si plura adsint impedimenta ejusdem rationis, puta plures incestus cum eadem consanguinea, aut affine.* Sed ejus venia oppositum est verum, & rationi consentaneum; pluritas enim copulæ cum eadem non multiplicat consanguinitatem, aut affinitatem, nec debet exprimi in petitione, nec unquam exprimitur; sufficit dicere, quod petitur dispensatio impedimenti v. g. affinitatis ex copula illicita cum sorore sponsæ, prout diximus supra num. 301.

## TRACTATUS TRIGESIMUS QUINTUS

### DE PRECEPTIS ECCLESIE.

#### CAPUT I.

##### De præcepto audiendi Missam.

##### PUNCTUM I.

##### De auditione sacri.

1. Inq. 1. Quod si primum præceptum Ecclesiæ? R. Est audire Missam integram Dominicis, & cæteris diebus festivis. Constat ex cap. Omnes 62. ex cap. Missas 64. de consecrat. Dist. 1. Ubi licet tantum diei Dominicæ, & de sæcularibus fiat mentio; praxis tamen Ecclesiæ, & communis Doctorum intelligentia ad alia festa, & ad omnes fideles dictum præceptum extendit. Hoc præceptum obligat; sub gravi, quia lex

#### Cap. I. præcepto audiendi Missam.

lex absolute lata de materia gravi graviter obligat; admittit tamen parvitatem materiæ, ut a principio usque ad Epistolam exclusive, dummodo reliquum missæ audiatur, vel a comunione peracta usque ad finem; omittens sine causa partem levem Missæ peccat venialiter; omittens eam ex causa nullam culpam committit; debet tamen, si possit, eam supplere in alia Missa, quia obligatio est ad integram Missam.

2. Absens consecrationi, aut sumptioni probabilis deficit graviter, quia sunt partes principales sacrificii. Voluntarie se exponens periculo non audiendi Sacrum, licet postea illud audiat, peccat graviter, quia jam se exposuit periculo violandi præceptum; unde Confessarius diligenter examinaet poenitentes an se exposuerint periculo omittendi Sacrum, & an eo die, in quo omiserunt, re ipsa fecerint, quantum in ipsis fuit, ut audirent. Credens prudenter proprio vel alieno loco invenendam Missam hora undecima, sive duodecima, si de facto non inventi, excusatur a transgressione, quia per ipsum non stetit; reprehendendi tamen sunt, qui ex negligentia, aut sine causa usque ad illas horas auditionem Missæ protrahunt. Verum, illi, quibus incumbit talibus horis celebrare, eas accurate observare debent, ne rei fiant transgressionis aliorum.

3. Inq. 2. An audiens medietatem Missæ ab uno Sacerdote, & aliam dimidiam ab altero, adimplat præceptum? R. Quod audiens simul duas medietates minime illud adimplet. Constat ex propos. 53 damnata ab Innocent. XI. *Satisfacis præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui ejus duas partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Non damnatur in hac propositione sententia asserens satisfacere præcepto Ecclesiæ audientem successive duas medietates. Verum minime est admitenda, quia debet integram Missam audire ab eodem Sacerdote; si autem una medietas audiatur ab uno Sacerdote, & alia ab altero ex justa causa, licitum est: Imo debitum si aliter nequeat integram sacrificium audiri: quia meliori modo, quo possit, debet integram audiri sacrificium, & qui integrum non potest, tenetur ad partem, ut perveniens ad canonem, aut etiam post consecrationem, tenetur ad

Tom. II.

reliquum audiendum. Ad satisfaciendum huic præcepto sufficit audire quamlibet Missam, sive cantatam, sive recitatam, sive propriam, sive votivam, vel de defunctis, aut de requiem, & in quocumque idiomate, vel ritu ab Ecclesia approbato, & a quocumque Sacerdote catholico, qui non sit vitandus, aut notorius clericus percussor. Nam prius quis debet omittere sacrum, quam ab istis illud audire. A Sacerdote autem excommunicato tolerato potest, & debet audiri, dum adsit rationabilis causa, vel in defectu alterius.

4. Inq. 3. An Missa sit audienda præcise in propria parochia? R. Quod, licet congruum sit, & monendum, tanquam conformius juri canonico, & æquitati, ut Fideles in propria Parochia sacrificio Missæ, & aliis officiis divinis assistant; nihilominus non teneri, quidquid dicat Gennettus, & amplius renuat Juvenin; sed satisfacere præcepto Missæ illam audiendo in alia Parochia, vel quacumque Ecclesia, aut cappella, seu Oratorio publico, aut regularium, vel etiam in oratorio privato deputato ab Episcopo juxta dicta de illius indulto, quia consuetudine commuai ita est introductum, abrogato decreto in contrarium juxta varias declarationes sacræ congregationis apud Ferraris *Verb. Missa, Videatur Benedict. XIV. in Syn. lib. 11. cap. 14. an. 7.*

5. Inq. 4. An audiens Missam, quæ coram Pontifice celebratur ante mediam noctem Nativitatis Domini, satisfaciatur præcepto pro ipso die Nativitatis? R. affirm. Quia vel Pontifex anticipat initium diei Natalis, ut dicunt aliqui, vel si non anticipat, ut volunt alii, dispensat in hora audiendi Missam, sicut dispensat in hora illam celebrandi. Nullus tamen tenetur prædicto die tres Missas audire, quia ad hoc nullum datur præceptum, licet melius esset eas audire.

6. Inq. 5. An antiqui Anachoritæ Egypti; Thebaidæ, & Syriæ peccaverint sacrum non audiendo? R. neg. Quia dicti Eremitæ igne divini spiritus succensi, auditionem sacri in longiorem Dei cultum, & graviorem obligationem, Prælati Ecclesiæ annuentibus, commutabant, vacantes divinis laudibus, & die, & nocte in lege Domini meditantes; quare, ut mirabile exemplar virtutis, & sanctitatis ab Ecclesia pro-

Tt

po-

ponuntur. Cæterum his temporibus licitum non est, quod tunc sanctum, & laudabile erat: ideoque præcepto audiendi Missam omnes sine exceptione nunc adstringuntur.

## PUNCTUM II.

## De requisitis ad Missam audiendam.

7. Inq. 1. Quid requiratur ad audiendam Missam? R. Requiritur præsentiam, attentionem, & intentionem. Requiritur ergo præsentia physica, & moralis ad audiendam Missam. Præsentia physica consistit in eo, quod audiens sit corporaliter præsens. Moralis in eo, quod voluntarie, & humano modo assistat. Non tamen exigitur, quod videatur, aut audiatur Sacerdos; cæcus enim, & surdus absque visu, nec auditu Missæ assistentes satisfaciunt præcepto. Eorū, aut dormientes per notabilem partem, illud non adimplent, quia humano, aut religioso modo non assistunt. Qui pro libro deferendo, vino, aut alio ad Sacrificium necessario recedunt, vere satisfaciunt, quia ei inseruendo assistunt, nisi recessus extra Ecclesiam sit adeo notabilis, ut censeatur absentia moralis. Organa pulsantes sine dubio reputantur præsentis, licet oppositum teneat P. Cuniliati.

8. Similiter, qui ad chorū accedunt ad dandam pacem, seu ad rurificandum, non recedunt moraliter, quia sacrificio inserviunt. Assistens post columnam Ecclesie, vel extra Ecclesiam ob magnum concursum, vel aliam causam rationabilem, ut Nutrices, quæ intrare non audent, nec debent, ne pueri audientes perturbent, satisfaciunt præcepto, dummodo quid agatur in sacrificio, percipiant ex signis adstantium, cum quibus moraliter uniuntur. Idem dicunt aliqui de assistente in fenestra domus vicinæ, ex qua videri, & audiri possit Sacerdos, quia est moraliter præsens. Hoc tamen absque causa raro est faciendum. Si autem domus immediata tribunam ad Ecclesiam habeat, reputatur præsens, quia tribunæ sunt veluti partes, aut fenestræ Ecclesie, & pro assistendo Missæ, aliisque divinis officiis aperiuntur.

9. Præter præsentiam requiritur etiam intentio, seu voluntas audiendi sacrum, ut

apponatur opus præceptum, nempe auditio voluntaria sacri. Unde qui coactus in Ecclesia adesset, non implet præceptum, nisi haberet intentionem Missam audiendi, semel, quod ad præsentiam cogatur. In hoc enim casu vere illud adimpleret, esto peccando grauitur illa voluntate alias non interessendi, ut pueri, vel servi, qui coacti ad comitandum Patrem, aut dominum assistunt voluntarie sacro intentione tamen actuali, quod nisi cogentur ad comitandum, non illud audirent. Vere tamen audiunt, & satisfaciunt.

10. Cæterum non exigitur voluntas, seu intentio adimplendi præceptum, quia non petit Ecclesia obedientiam formalem, sed voluntariam positionem rei præceptæ. Unde qui ignorans esse diem festum, Missam audit, adimpleret præceptum. Pariter qui in die festo primo mane audit Missam ex devotione, animo aliam audiendi ad satisfaciendum præcepto, non tenetur aliam audire, sed mutare, aut deponere ignorantiam præcedentem, ut cum prius audita satisfaciatur præcepto, quia revera illud adimplevit, ut diximus tract. de legibus.

11. Objic. Actus non operantur ultra intentionem agentis, sed intentio huius est non satisfacere præcepto: ergo de facto non satisfaciunt. R. Non esse in potestate audientis Missam, quod res præcepta non sit apposita, semel quod illam audiat; intentio autem adimplendi præceptum necessaria non est, imo illam re ipsa habet audiens Missam ex devotione, licet ut melius præceptum adimpleat, velit postea aliam audire; sed revera illam audivit, & adimplevit præceptum: ergo solum tenetur ad mutandam voluntatem, qua mutata, nihil deficit pro præcepto adimplendo. Hoc vix contingit, nisi in personis devotis, quæ pro majori satisfactione cupiunt diebus festis duplicem audire Missam, ad quod nulla lege tenentur; laudandæ tamen sunt, & hortandæ, ut audita prius Missa de præcepto, aliam audiant, dum commode possint. Hinc sequitur eos, qui audita Missa, vel horis recitatis, non satisfacti de sua attentione, dicunt: *habeo pro non dictis: iterum repetam: iterum audiam Missam*, non teneri, deposito timore, aut scrupulo eas repetere, aut aliam Missam audire, quia re ipsa præcepto satis-

tis-

tisfactum est.

12. Inq. 2. An qui ad Ecclesiam pergit voluntate, aut animo furandi, vel aliud malum perpetrandi, assistens ibi sacro, adimpleat præceptum Missæ? R. Quod si debita attentione sacro assistat, adimplet præceptum, esto alias graviter peccet ex prava intentione: quia ponit rem præceptam, & substantiam actus præcepti, modus autem, & finis præcepti non cadit sub præcepto: ut docet D. Thom. 1. 2. q. 100. a. 9. & alibi sæpe. Imo licet in ipsa Missa animum pravum transeunter repetat, aut in aliud peccatum grave subito consentiat, dummodo reliquo Missæ debita attentione assistat, seu in notabili ejus parte de peccato voluntarie non cogitet, nec distrahat, adimplet præceptum, quia vere, & sufficienter apponit rem præceptam, quæ est voluntaria auditio sacri. Sicut, qui in horis canonicis aliquod peccatum grave subito committeret, reliquum tamen officii devote persolveret, ita ut in nulla ejus parte notabili se voluntarie distraheret, pensui canonico substantialiter satisfaceret, ut diximus tract. III. Dixi, si debita attentione sacro assistat, in praxi enim valde periculosa est similis assistentia sacrificio agni immaculati, qui tollit peccata mundi; Quæ enim participatio Justitiæ cum iniquitate? Aut Quæ societas luci ad tenebras? Quæ conventio Christi ad Beliam? Clamat ad Corint. Prædicator veritatis. Cave ergo ab his subtilitatibus in via mandatorum Dei.

13. Inq. 3. An requiratur attentio ad Missam audiendam? R. affirm. Quia requiritur præsentia moralis, quæ sine attentione consistere nequit. Non solum autem requiritur attentio externa, quæ inhibet actiones incompatibiles cum auditione Missæ, ut pingere, scribere, legere profana, aut confabulari; sed etiam interna, qua mens applicatur, vel ad Deum, vel ad signa, vel saltem ad verba, aut rem sacram, quæ peragitur in Missa: quia, licet Ecclesia nequeat directe præcipere actus mere internos, valet tamen indirecte. Ideo attentio interna applicandi mentem ad Missam audiendam, præcipitur indirecte ab Ecclesia juxta dicta de attentione ad recitandas horas canonicas.

14. Qui tempore Missæ contemplatione dedit in extasim rapiuntur, satisfaciunt

præcepto, quia habent perfectissimam attentionem ad Deum, quæ est suprema, & cæterarum attentionum finis: & licet non cadat sub præcepto, optime cum illa adimpletur præceptum.

15. Inq. 4. An qui confitetur peccata tempore Missæ, satisfaciatur præcepto? R. negat. Nisi confessio sit brevissima, aut sacrum sit cum cantu, ita ut, Sacerdote pausante, cantus, seu musica protrahatur: quia hujusmodi actio confitendi peccata, esto pia, impedit attentionem ad Missam. Potest autem adiens Missam de præcepto, examinare breviter conscientiam, recitare horas canonicas, rosarium, vel quid aliud poenitentia injunctum; quia actiones istæ compatibiles sunt cum attentione Missæ. Si vero examen conscientie longam moram exigeret, impediret attentionem requisitam. Similiter audiunt Missam petentes eleemosynam in Ecclesia parva, secus in majoribus. Verum est, quod petere eleemosynas intra Missarum solemniam permitti non debet, ut cavetur in quadam declaratione sacræ congregationis. Confabulantes cum aliis in parte notabili Missæ peccant graviter: si confabulatio sit brevis, aut discontinuata, ita ut non impediatur attentio ad Sacrum, & fiat cum causa, immunis est a culpa: si vero absque causa fiat, erit venialis. Colloqui extra tempus Missæ, aut officii divini in Ecclesia, ducendo discursus honestos ex causa non est prohibitum; ducere autem discursus otiosos, vanos, aut inutiles est quedam irreverentia, & saltem peccatum veniale.

## PUNCTUM III.

## De causis excusantibus a sacri auditione.

16. Inq. 1. Quot sint causæ excusantes a præcepto Missam audiendi? R. Communiter recensentur octo. *Prima*, impotentia spiritualis. *Secunda*, impotentia corporalis. *Tertia*, impotentia moralis. *Quarta*, ratio officii, seu juxta obedientiam. *Quinta*, titulus charitatis. *Sexta*, consuetudo rationalis. *Septima*, defectus Sacerdotis. *Octava* dispensatio legitima.

17. *Ex prima causa* excusantur excommunicati, & interdicti, qui vinculo spirituali inhihentur audire Missam, tenentur

T12

ta-

tamen curare absolutionem, quia tenentur ad tollenda impedimenta pro adimplendo præcepto, si commode possunt. Qui tempore interdictionis localis gaudent privilegio audiendi sacrum in Ecclesia, tenentur ad illud; probabilius etiam, qui in oratorio privato illam audire valent: quia præcepta adimplenda sunt, dum commode possint.

18. *Ex secunda causa* impotentiae corporalis excusantur incarcerati, violenter detenti, navigantes; ubi nequeat celebrari, & infirmi, quamdiu auditio Missæ periculum salutis imminet ratione exitus a domo: In dubio nocenti consulant medicum timoratum, Parochum, Confessarium, aut Prelatum. De habentibus in suis domibus oratoria privata, in quibus commode valent Missam audire, teneas, quod dictum est num. præced.

19. *Ex tertia causa* excusantur, qui absque periculo gravis damni in vita, fama, aut re familiari nequeunt Missæ assistere, quia Ecclesia cum gravi damno non vult obligare. Unde cum periculo vitæ, aut salutis, vel ob inimicitias, vel ob intemperiem aeris, aut aliam causam non teneris sacrum audire. Item si absque dedecore a domo exire nequeas, excusaris a præcepto. Fœminæ tamen honestæ ob defectum vestium raro excusantur: quia debent primo mane, vel in Ecclesia a concursu separata adimplere præceptum; si autem hoc non valeant, & verum dedecus imminet, excusatae manent. Similiter inuptæ gravidæ, si nequeant occulte, aut absque nota, vel dispendio suæ famæ, deobligantur a præcepto. Puella ab hoc præcepto non excusatur, eo quod impudice aspicienda sit a juvene.

20. Qui longe ab Ecclesia degunt, ut per upam leucam pedestres conficiendam præcipue hyemali tempore, & omnes qui absque gravi molestia ad eam accedere nequeunt, eadem ratione excusantur. Patritæ custodes gregum, si non valeant alternatim adire, quod domum solam relinquere absque jactura nequeunt, & similes, qui non valentes assistere sacro, ab eo excusantur.

21. *Ex quarta causa* officii, aut obedientiæ excusatur miles, castra custodientes, seu excubias, aut vigiliis facientes. Item matres, seu nutrices, quæ infan-

tes domini relinquere non possunt, neque alteri commendare, nec eos ad Ecclesiam deferre, ne celebrant, & adstantes perturbent. Similiter aliquando, esto raro, excusari possunt famuli, & servi, qui jussu dominorum aliis negociis tempore Missæ occupantur; sed debent quantocius quærere alios dominos, præceptis Ecclesiæ fideliter, ut par est, obtemperant.

22. *Ex quinta causa* charitatis excusantur infirmis inservientes, dum nequeunt assistere Missæ, quin illorum necessitati deficiant, neque alius sit, qui supplere defectum valeat. *Ex sexta causa* consuetudinibus deobligantur fœminæ per aliquos dies post partum, esto perfectæ convalescunt; non ad observandos ritus Mosaycos, sed ex reverentia, & devotione. Verum tamen optima devotio est adimpletio præcepti sacrum audiendi. Similiter virgines nobiles jam nubiles ajunt plures excusari, ubi est consuetudo, ne in publicum exeant. Aduertunt tamen, quod, si ad choræas, aut alia profana egrediantur, non excusantur ab accessu ad Ecclesiam. Hoc justissimum est, ita ut oppositum intollerabile absurdum foret. Addimus debere Parochos penitus evellere hanc consuetudinem, curareque, ut tales puellæ caute, & honeste ad Ecclesiam accedant, & sacrificio intersint.

23. Idem dicimus de alia consuetudine viduarum, quæ ob mortem mariti, & in signum tristitiæ a domo non exeunt, & a præcepto Missæ excusantur; illas vero, quæ ad alia egrediantur non esse excusandas, merito dicunt Authores, & nos addimus, has consuetudines merito esse abolendas, ut viduæ pro defuncto viro devote orent in Ecclesia, Sacrificio Missæ assistentes. Sic melius amorem mariti ostendent.

24. *Ex septima causa* defectus Sacerdotis excusantur fideles, ubi eum habere non possunt, vel est nominatim excommunicatus, aut manifestus percussor clerici, sive unicuique sit in loco, & fregit jejunium naturale; quia in his casibus idem est, ac si nullum haberent ministrum; cum vitare illum teneantur, vel non possit rite celebrare. Verum in talibus circumstantiis debent fideles fundere aliquas preces in compensationem sacrificii, ut rosarium, aut altaria in Ecclesia recitare, vel domi orare, ad reddendum Deo pensum servitutis

de-

debitum diebus festis maxime Dominicis.

23. *Ex octava causa* excusantur a Missæ auditione per dispensationem legitimam Superioris. Papa potest dispensare valide, etiam sine causa pro festis mere ecclesiasticis, sicut potest illa abrogare: pro diebus vero Dominicis non valet absque causa, quia quoad substantiam sunt de jure divino colendi. Episcopi, & alii Prælati possunt dispensare ex legitima causa infirmitatis, debilitatis, aut ex alia gravi, & prudenti, & quando est dubium de sufficientia causæ.

## CAPUT II.

## De confessione annuali.

DE præcepto divino confessionis actum est, tamquam in proprio loco, tract. de sacramento penitentiae: nunc solum erit nobis sermo de præcepto confessionis ecclesiastico.

## PUNCTUM I.

## De præcepto annuæ confessionis.

26. Inq. 1. Quod sit secundum Ecclesiæ præceptum? R. est confiteri semel saltem in anno. Constat hoc præceptum ex capite. *Omnis utriusque sexus, de penit. & rem.* in Conc. Later 4. sub Innoc. III. an. 1215. ubi decernitur: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, semel saltem in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Constat etiam ex Trid. Sess. 14. Can. 8. Ubi expresse declaratur annuæ confessionis præceptum. Nomine proprii Sacerdotis intelligitur proprius Episcopus, vel Parochus, ex consuetudine quilibet Confessarius ab Episcopo delegatus, seu designatus.

27. Obligat *per se* hoc præceptum, prout distinctum a præcepto communionis, ita ut omittens voluntarie confessionem, & communionem annualem, duo peccata distincta committat, quia sunt duo præcepta utrumque *propter se*. Unde excusati a præcepto communionis, vel propter defectum ætatis, ut pueri; vel ob aliam causam, non excusantur a confessione. Est

de jure Divino, quoad substantiam; de jure vero Ecclesiastico, quoad temporis determinationem: quare posset Ecclesia jubere, ut bis, aut ter in anno, sicut olim, fideles confiterentur. Posse etiam cum aliquo in eo dispensare, quoad frequentiam, licet non absolute: quia ad absolutam dispensationem exigitur causa, quæ vix occurrere valet.

28. Ad confessionem, ait S. Thom. 4. sentent. dis. 17. quæst. 3. art. 1. quæstionc. 3. "Dupliciter obligamur, uno modo ex jure divino ex hoc, quod est medicina, & secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum, qui peccatum mortale incurrun post baptismum; alio modo ex præcepto juris positivi, & sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ edita in Concilio generali sub Innocentio 3. tum, ut quilibet se peccatorem recognoscat, quia peccaverunt, & egent gloria Dei, tum, ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedant, tum ut Ecclesiarum Rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat." Ex quibus verbis infert Benedict. XIV. Inst. 18. n. 2. Omnes fideles teneri ad præceptum ecclesiasticum confessionis, esto non habeant conscientiam peccati mortalis.

29. Inq. 2. An Ecclesia de facto præcipiat confessionem venialium. R. ex præcipientis autoritatibus constare præceptum confessionis astringens semel in anno omnes fideles sive justos, sive peccatores, ut Rectores Ecclesiarum vultum pecoris sui cognoscant. Deinde in clementina 1. *Ne in agro*, præcipitur monachis Benedictinis, ut singulis mensibus confiteantur, quod probabilius intelligitur de peccatis venialibus, minime enim presumit Ecclesia, religiosos illos singulis mensibus peccatis gravibus inquinari, sed suo præcepto attendi eorum majori profectui, & conscientie puritati. Non autem tenentur ejus modi confessioni sub gravi culpa, sed tantum sub veniali, ut communis sententia docet, & consuetudo illius gravissimæ religionis tenet. Idem asserimus de carmelitis Discalceatis, quibus in constitutionibus P. 1. cap. 4. n. 5. præcipitur confessio in qualibet hebdomada, qui sub pœna arbitraria a Prælati infligenda tenentur ad confessionem.

30. Præcis his legibus, non datur obligatio confitendi venialia, nisi velit lucrari jubileum, aut indulgentiam, ad quarum consecutionem assignatur confessio, quo in casu etiam immunitas a culpa gravi debet confiteri, quia privilegia tantum valent quantum sonant, & constant ex decreto sacre congreg. sub Clem. XIII. expedito 15. Maji 1759. Personis vero assuetis ad confessionem hebdomadalem, sufficit unica confessio cujuslibet diei ad lucrandas indulgentias totius hebdomadæ, dummodo in gratia existant, ut ipsamet Congreg. declaravit 9. Decemb. 1763. cum approbatione ejusdem Papæ. Olim pro lucrandis jubileis, & indulgentiis, sufficiebat confessio, nunc vero requiritur etiam communicio, ex dispositione Bened. XIV. qui primus illam adjecit; ut ipsemet ait in Brebi *Inter præteritos*.

31. Inq. 4. An præceptum confessionis obliget præcis in quadragesima, aut Paschate? R. neg. Quia caput *Omnis utriusque sexus* non limitat tempus confessionis ad aliquam partem anni: ergo in qualibet potest expleri. Annus autem pro ejus impletionem non est computandus a Januario in Januario, sed ab uno Pascha in aliud Resurrectionis, quia hic censetur annus ecclesiasticus ad confessionem, & communionem annualem consuetudine Ecclesie receptus.

32. Inq. 5. An qui toto anno omisit confessionem, teneatur, dum primum possit, confiteri? R. affirm. Quia principaliter hoc præcepto jubetur confessio, & deinde assignatur tempus, non ad finiendam obligationem, sed ad eam non differendam. Nec refert in oppositum paritas de Missa, aut jejunio, quæ, transacto die, non obligant. Disparitas quippe stat in eo, quod Missa, jejunium, aut horæ canonicæ sunt fixa diei, & præcepta in cultum ejus, seu sancti, vel mysterii, quod tali die colitur: confessio vero præcipitur, non ad annum colendum, sed ad animam expiandam a culpa, & pro ea Deo satisfaciendum, quod etiam transacto anno, semper obligat.

33. Inq. 6. An, qui semel confessus est mortalia, si in aliud grave incidat, teneatur iterum in eodem anno confiteri? R. Teneri ex vi præcepti communionis, non vero ex vi præcepti confessionis, quia supponitur recte facta congruo tempore: ergo

adimpletum est etiam præceptum semel in anno confitendi sine temporis restrictione. Nec adest ratio valida in oppositum; alias etiam qui bis, aut amplius confessus esset gravia intra annum, tertio, vel quarto confiteri teneretur ex vi ejusdem præcepti, quod videtur nimis durum.

34. Dices: Concil. Trid. *sess. 14. cap. 5.* laudat morem confitendi in quadagesima, & Parochi tunc postulant schedulam confessionis: ergo adest talis obligatio ex vi præcepti. R. nego consequ. Quia morem istum laudat quidem Concilium, tamquam pium, ratione communionis Paschalis tunc recipiendæ. Ideoque merito retinendum imo sub gravi observandum ab his, qui sunt in lethali. Hoc autem solum probat obligationem ex vi consuetudinis, introductæ absdubio ratione annuæ communionis, quæ illo tempore præcis obligat. Parochi autem juste tunc exigunt schedulam confessionis, ipsis enim constare debet de suarum ovium annua confessione: ideoque illam petunt etiam ab illis, qui sola venialia intra annum commiserunt, de quibus pariter adest pia consuetudo confitendi pro recipiendâ Paschali communionem, licet ex vi præcepti divini non teneantur, ut diximus n. 28.

35. Qui peccatum mortale dubium confessus est, satisfacit etiam pro tunc præcepto. Si vero postea agnoscat illud fuisse certum, debet confiteri iterum eodem anno, quia ex ignorantia omisit illud fateri, ut certum. Similiter si postea comperisset peccatum a se confessum, ut dubium, fuisse solum veniale, non adimplevit reipsa præceptum, nisi in sua existimatione, ideoque teneretur ad confessionem gravium, si eodem anno illa committat. Idem est de confitente peccata gravia existimata, quia per solutionem mere existimatam non satisficit debito certo.

36. Inq. 7. An confitens peccata gravia, aliquod tacens ex justa causa, teneatur illud confiteri eodem anno? R. affirm. Quia impotens ad solvendum totum debitum ob aliquam causam, ista remota, tenetur ad ejus solutionem: erg. similiter tacens peccatum ob justam causam, ista sublata, tenetur eodem anno confiteri. Unde confitens in articulo mortis, omitto aliqua quæ fateri non valet, tenetur eodem anno, si convalescat, ad ea confitenda, nisi arti-

articulus mortis contigerit in fine anni, remoto quippe impedimento, obligat lex.

37. Inq. 8. An, qui post sufficiens examen confitetur, tacens ex ignorantia invincibili, aliquod grave teneatur ad illud confitendum eodem anno? R. affirm. Quia ignorantia excusat a culpa, non vero ab obligatione. Scio plures oppositum docere, sed ratio data, & consequentia doctrinæ me compellunt ab eis recedere. Omittens enim confiteri peccatum ex dicta ignorantia, est sicut illud tacens ex justa causa, sed hic tenetur cessante causa: erg. etiam ille cessante ignorantia.

38. Inq. 9. An qui toto anno omisit confessionem, teneatur bis confiteri anno sequenti? R. sub distinctione. Si in principio anni sequentis solum confitetur peccata præcedentis, tenetur bis confiteri, si postea in aliquod grave incidat: quia solum satisfecit debito anni præcedentis, Pariter, si in fine anni sequentis confitetur peccata utriusque anni, confitendo etiam omissionem anni præcedentis, ad amplius non tenetur. Si autem eadem confessione fateatur intra annum peccata gravia utriusque anni, pariter non tenetur juxta plures bis confiteri ex vi hujus præcepti, licet teneatur ex vi præcepti communionis, si forte incidat in grave, quia unico actu satisfecit debito utriusque anni; sicut qui debens pensum duorum annorum centum pro uno, & centum pro alio, & unico actu ducenta solveret, non teneretur eodem anno ad aliam solutionem.

39. Sed oppositum est dicendum, quia illa verba *Concil. Later. semel saltem in anno* denotant, quod cuilibet anno debetur sua propria confessio; sed confessio anterior potius fuit pro anno præcedenti, pro quo magis urgebat, quam pro presenti, ut ex se patet: erg. huic debetur sua propria confessio ex vi præcepti, supposita nova materia necessaria. Nam licet aliquando possint impleri duo præcepta eodem actu, non tamen semper. Ad exemplum debitoris potest assignari disparitas, quod talis debitor habet sui debiti terminum fixum, quo caret peccator, qui contrahens novum debitum ex peccato commisso, tenetur illud solvere confessione propria anni presentis.

30. Inq. 10. An per confessionem voluntarie nullam satisfaciat Ecclesia præcepto?

R. neg. constat ex proposit. 14. dum data ab Alex. VII. *Qui fecit confessionem voluntarie nullam satisfacit præcepto Ecclesie.* Item ex alia proposit. 25. ut sequitur: *Qui habuit copulam cum solâ, satisfacit præcepto confessionis, dicens, commisi cum solâ grave peccatum contra castitatem, non exprimendo copulam.* Suadet assertio ratione: quia Ecclesia præcipit veram confessionem prout ipsam præcepit Christus Dominus, aliquando faciendam, erg. nequit satisfieri præcepto Ecclesie per confessionem voluntarie nullam, sive ex defectu integritatis, sive ex alio quocumque capite.

41. Unde inferitur 1. Non satisfieri præcepto Ecclesie per confessionem nullam ob defectum, etiam omnino internum, aut quia defuit dolor, aut non aperiantur peccata cordis, proindeque incurri excommunicationem synodalem, impositam omnibus confessionem annualem in pluribus Diocessibus, quia vere confessio præcepta omittitur. Inferitur, 2. Confessione, ad quam non sequitur absolutio ex inadvertentia, aut malitia Confessarii, non satisfieri præcepto Ecclesie, quia non suscipitur sacramentum poenitentiae. Igitur, sicut credens se Eucharistiam sumere, hostiam non consecratam reciperet, non satisfacit præcepto communionis, eodem modo, qui vere absolutioem non recipit, reipsa præceptum confessionis non adimplet. Idem est de sacramento, quod vocatur validum, & informis, non enim datur tale sacramentum poenitentiae, nam licet possit dari confessio valida, & informis, non tamen sacramentum, quia de parte ad totum non valet argumentum. Ob ignorantiam autem nullitatis excusatur poenitens a nova confessione, quando illa durat, sicut in casu præcedenti.

42. Inq. 2. An mutus teneatur ad confessionem annualem? R. affirm. Quia potest manifestare peccata per mutus, quod in secreto fieri valet. Similiter datur obligatio confitendi per scripturam, quando ali-

ter fieri non potest, secluso periculo revelationis, quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ad illud conducentia, & potest quis peccata scribere, & statim post confessionem perfringere, vel comburere chartam, vel alio modo periculo occurrere. Hæc autem obligatio sic confitendi datur tam comparatione præcepti ecclesiastici confessionis annuæ, quam præcepti divini.

43. Inq. 3. An obliget præceptum annuæ confessionis ad faciendam eam per interpretem? R. neg. Quia Ecclesia non censetur obligare cum tanto onere: ut constat ex capite, *Omnia utriusque sexus*. Ubi expresse habetur, quod omnis fidelis tenetur solus confiteri sua peccata semel in anno. Non autem confitetur solus, qui simul cum interprete confitetur, ut tenet communis sententia Theologorum.

44. Inq. 4. An prævidens non posse in fine anni confiteri tenetur confessionem anticipare? R. affirm. Quia præceptum obligat pro toto anno, & pro qualibet illius parte: ergo prævidens impedimentum ad illud postea implendum, tenetur antea implere: sicut qui primo mane diei festi prævidet non posse postea audire Missam, aut quolibet die recitare horas canonicas, debet eas anticipare. Idem dicunt plures de communione Paschali: quia sicut potest ex rationabili causa differri, ita ex eadem causa potest, & debet anticipari. Hæc est opinio securior, & omnino sequenda, esto etiam contraria validis rationibus innitatur.

45. Inq. 5. An octogenarii excusati sint a præcepto annuæ confessionis? R. Quod nec octogenarii, nec centenarii, aut ulterius excusantur a confessionis præcepto: quia obligat omnes fideles, postquam ad annos discretionis pervenerint. Si autem Narbona oppositum asseruit, intelligendus est de senibus, qui ob excessum ætatis discretionem, & ratione destituuntur; proindeque ab ecclesiasticis præceptis excusantur. Nec audiendi sunt, qui meretrices ab hoc præcepto eximunt, quia lex generalis omnes comprehendit.

46. Inq. 6. An sint aliqua causa ab huiusmodi præcepto excusante? R. Quod licet Authores communiter asserant posse dari plures causas, ab hac obligatione excusantes, ut impotentia physica, & mora-

lis, sub quibus comprehenditur periculum gravis damni in vita, fama, honore, aut fortuna; nihilominus re bene perpensa vix occurrere valet causa legitima, ad omittendam confessionem annualem; quia toto integro anno potest impleri, deinde si aliter fieri non valet, potest confessio dimidiari, valet etiam anticipari, postponi, seu differri. Quis igitur inter catholicos tanto tempore causam legitimam omittendi confessionem habere queat? Unde rarissime admittenda est excusatio ab huiusmodi implenda obligatione. Pœnas violatoribus huius præcepti impositas vide in fine capituli sequentis.

## CAPUT III.

## De communione Paschali.

47. **P**rimis Ecclesie sæculis florida illa ætate tanta fuit fidelium pietas, & devotio, ut quotidie ad sacram Synaxim avidè accederent: temporis vero decursu frigescente caritate, languente devotione, necessum fuit, ut circa octavum sæculum Ecclesia sacram communionem fidelibus præciperet. Quare Fabianus Papa decrevit, ut ter saltem in anno omnes laici communicarent, in Pascha, videlicet, Pentecostes, & Natali Domini. Anno autem 1215. præceptum hoc moderatum fuit ad unicam pro anno communionem in Concilio Lateranensi. O tempora! O mores! Pari passu currunt devotio fervida sacrosanctæ Eucharistiæ, ac honestas, & probitas morum. Pabulum cælestis in Ecclesie primæva ætate reficiebat fideles ad martyria subeunda pro Christo; nunc autem vix ejus leges servantur ex desidia ad illud recipiendum.

## PUNCTUM I.

## De præcepto annuæ communionis.

48. Inq. 1. Quid sit tertium Ecclesie præceptum? R. Est de communione in Paschate suscipienda. Constat hoc præceptum ex laudaro cap. *Omnia utriusque sexus*. Et ex Trident. sess. 13. can. 9. ubi sic dicitur: *Si quis negaverit omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, te-*

*neri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum, iusta præceptum sanctæ matris Ecclesie: anathema sit.* Nominè Paschatis non intelligitur solus dies resurrectionis, sed quindecim dies a Dominica palmarum usque Dominicam in albis inclusive juxta praxim Ecclesie, & declarationem Eugenii IV. Imo aliquibus in locis amplior extensio temporis conceditur pro communione paschali suscipienda.

49. Inq. 2. Quia ætate pueri ad communionem paschalem teneantur? R. Eos teneri quando ad annos discretionis pervenerint, ut decernitur ab utroque Concilio Lateran. & Trident. Aliqui asserunt eos teneri anno ætatis decimo, alii duodecimo, alii quarto decimo, vel quinto decimo. Sed revera tenentur, quando sufficientem discretionem habent ad distinguendum panem cælestem a communi. Dicere autem majorem exigi discretionem ad communionem quam ad confessionem non probatur: quia major discretio requiritur ad efformandum dolorem supernaturalem, quam ad misterium Eucharistiæ credendum, & venerandum. Puer enim, qui verum dolorem, & detestationem de peccatis, propositumque de cætero non peccandi efformat, veram fidem in exercitio habet, hoc est, actus fidei circa Dei bonitatem, majestatem, & justitiam elicit, quod quidem difficilius est, quam Christum Dominum in Eucharistia credere, & suscipere.

50. Præterea ad conficiendum poenitentiae sacramentum, quodammodo poenitens cooperatur, apponendo actus doloris, confessionis, & satisfactionis in voto pro materia; ad sacramentum autem Eucharistiæ conficiendum non cooperatur, sed merè se habet ut subjectum, ad quod non tantum exigitur, cum sacramentum jam sit Perfectum. Cur igitur major discretio postulat ad communionem, quam ad confessionem? Corent Parochi, & parentes, ut pueri sufficienti discretionem polentes ad suscipiendum utrumque sacramentum quantocius reverenter accedant. Si enim antiquitus infantes ante usum rationis statim post baptismum sacro Eucharistiæ pabulo reficiebantur; cur hodie annus præcisè decimus spectandus est in pueris, si antea sufficienti discretionem potiantur?

51. Negandum minime est hoc nego-

tium committi prudentiæ Sacerdotis, ita tamen ut non multum differat pueris communionem post confessionem. In aliquibus celerius, in aliis tardius affluget lumen rationis, qui ergo sive post septennium, sive post octennium capaces sunt confessionis faciendæ, apti etiam sunt communionis paschalis, quidquid intra annum non communicent, esto sæpius confiteantur, nisi aliud ex justa causa discretioni Parochi agendum videatur. Notet autem Parochus doctrinam D. Thom. dicentis: *Quando jam pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere hujus sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri.* Ita 3. p. q. 80. art. 9. ad 3.

52. Inq. 3. An qui tempore paschatis omissit communionem, tenetur postea quam primum communicare? R. affirm. Quia huiusmodi communicatio non præcipitur in paschate præcisè ob cultum illius temporis, sicut Missa in die festo, aut jejunium in honorem alicujus sancti; sed nediteratur ultra annum, & ad expiendum divinum præceptum, ita ut communicatio præcipiatur primario, & velut secundario assignatur tempus impletionis; ergo qui assignato tempore eam omissit, tenetur quam primum ad ejus impletionem; sicut qui tributum, vel annuos redditus solvere debet tali die, aut mense, illis tempore assignato non solutus, tenetur quam primum ad eorum solutionem.

53. Similiter qui prævidet impedimentum ad suscipiendam communionem tempore paschali, probabiliter tenetur anticipare, ut diximus num. 44. Addimus ut certum, quod prævidens impedimentum communicandi hebdomada resurrectionis, debet communicare hebdomada sanctæ quia a Dominica palmarum incipit tempus assignatum pro adimplendo præcepto: sicut ergo prævidens impedimento pro Missa audienda hora decima, & ultra, tenetur ad illam anticipandam, ita in presentia. Qui ex prævisio impedimento anticipavit communionem ante hebdomadam sanctam, illo non occurrente, tenetur Communionem iterum sumere tempore ab Ecclesia designato. Hæc ducti ratione tenent plures, neminem teneri communionem suscipere ex vi huius præcepti ante tempus paschale, licet pro isto prævideat impe-